



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Primus. Mysticum directorem ad facilem, & securam praxin plurimum conferre, & maxime requirendum esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

nis p̄tentibus, liberali dexteritate porrigunt. Verùm quia nonnulli magistri constituuntur, aut quod magis absurdum, & periculosum est, non vocati seip̄os intrudunt: licet in praxi mystica vix discipuli, & ad status (proprijs suis perfectiores) ordinatè, & securè deducendos, incapaces sint: oportuit hoc loco quædam apponere, ad cautelam eorum, qui dum alijs prædicant, ipsimet reprobi non fiant, neue cæco cæcum ducente, ambo in foueam cadant: maximè verò, vt p̄tiores magistri discant non a omni spiritui credere; sed probare, si ex Deo sint, nec ne. Vndè dicitur,

- I. *Mysticum directorem ad facilem, & securam praxin plurimum conferre, & maximè requirendum esse.*
- II. *Ad vitam mysticam, quinam aptiores.*
- III. *Quod mysticorum varijs naturis examinatis se se conformare habeat.*
- IV. *Ne sensibilem, sine affectuosam denotionem nimium excitet.*
- V. *Extraordinarias mentis perceptiones, voluntatisque excitationes amorosas, sicut etiam actus infusos, statum mystici non mutare.*
- VI. *Priuationes improprias ex ipsa prauitate natura, & mentis hebetudine provenire.*
- VII. *Vt spiritualis magister spectator sit patiens admirabilis inconstantia ac tedij incipientium, & proficientium.*
- VIII. *Vt pericula alterius sexus caueat ordinata discretione.*
- IX. *Summarium statuum mysticorum secunda partis, seu modi supernaturaliter operandi.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Mysticum Directorem ad facilem, & securam praxin plurimum conferre, & maximè requirendum esse.

SI vspiam cogitationes b mortalium sunt timidæ, & incertæ providentiæ nostræ, & si vspiam expedit scire consilium Dei, & cogitare quid Deus; hoc ipsum in mystica exercitatione, vel maximè locum habet, cum vel ideò

mystica dicatur, quod ab oculis omnium viuentium abscondita sit, & volucres quoque cæli lateat; dum nullo ingenio, quouis humano lumine perfuso, acquiri potest; sed Deo miserante, e & cui ipsi placuerit, illam largiatur: atque eo respicit illud in amoris diuini schola dictum Domine nescimus, quo vadis, & quomodo possumus viam scire. Vndè iure merito Sancta Mater Teresia prudentis, & experti directoris inopiam deplorat dicens, [nullum magi-

a 1. Ioan. c. 4. b Sap. 9. c Infra 2. p. Dec. 1. a. 4.

magistrum a Confessarium inueni, qui me intelligeret, tamen viginti ipsis annis talem quæsierim. quod haud dubiè mihi non parum nocuit. ex huius defectu non solum sæpiùs retrocessi, verùm etiam in præsentissimo periculo fui, ne penitus pessum irem.] hoc tamen non ita strictè accipiendum est, scilicet prudentes, & expertos confessarios non esse; sed rarè inueniri, vel quod quærendi occasio indigentibus præscindatur; vel quod latere magis, quam propalari desiderent, qui secretum suum sibi seruant: vel quod sollicita cura non quærantur instructores myltici: qui etiam [à b centum milliariibus quærendi essent.]

Quod autem spiritualis director ad facilem, & securam praxin plurimum conferat, & maximè requirendus sit; præcipue facit, quod [voluntas indifferenter, c & aliquando falsò feratur ad summum Bonum] quo falso posito, facillimum est ei, qui mille nocendi artes nouit, sub boni specie in plurima pericula, & damna præcipitem dare simpliciter ambulanti; aut de propria sufficientia benè sentientem, aut altioribus se temerè ingerentem, aut etiam sub pietatis velamine vitij Mancipatum. [prodest ergò non mediocriter d consilium accipere, & accepto credere virorum expertorum spiritualiumque, quales iudicant de omnibus.] & certè si [primæ illæ & cælestes natu-

ræ, & essentiæ, quæque tantum præstant omnibus diuinam scientiam e capiunt ordine Hierarchico,] & purissimis illis spiritibus proportionato: quanto magis [ad præsentis fvitæ beatitudinem amicorum societas requiritur, vt illis ad opera vitæ actiuæ, & contemplatiuæ præstanda iuuetur, oblectetur & exerceatur homo;] vtque doctrinam & illustrationem, quæ conceditur diuino progressu, & ordine consequatur. sunt enim spirituales magistri tanquam [terrestres Angeli, diuinique g silentij interpretes: & tanquam lumina clara, quæ Eum, qui abditis latet, indicant.] sicut ad oculum patet in Samuele Propheta, qui adhuc puer, licet secundo ipsi Domino locutus fuisset, Dominum h tamen esse ignorabat; donec pro tertia vice ab Heli sacerdote, & diuinorum Magistro edoctus, ad Dominum loqui dedicisset.

Cum autem è contra magistri inidonei i plurima damna inferant, [non debet temerè ducem se alijs diuini luminis præstare, is, qui non omni statu suo, & habitu simillimus Deo euaserit, diuinoque instinctu, ac iudicio declaratus k sit rector, atque moderator.] qui verò in semetipso per Deiformes operationes benè ordinatur [idoneus est ad purgandum, illuminandum, & perficiendum alios dispositiuè, quia sumus coadiutores Dei, qui solus hoc facit effectiuè.]

N^o 2

[Non

a In vita sua c. 4. & s. fusè. & alias sæpè. b Taul. c S. Thom. Cont. Gent. l. 3. c. 26. d Gers. Th. Myst. præf. cons. 2. e S. Dion. de cæl. Hier. c. 7. f S. Thom. Opus 6. q. 4. a 8 c. g S. Dion. de Diu. nom. c. 4. h 1. Reg. 3. i Ioan. à Cruc. flām. amor. Cant. 3. v. 3. §. 8. 9. 10. &c. k S. Dion. de cæl. Hier. c. 5. l S. Bonau. Itin. 7. ater. d. 4.

[Non ergò decet *a* amantes mutua studia, mutuaque in alterutrum desideria nescire neque sufficit æstuantì animæ, ardentique desiderio semel audire dilectum. Obsecro ergò manda, remanda. Nuntius medius inter nos discurrat, qui me de singulis instruat. doceat me non solum super statum meum, sed & de statu tuo, doceatque, quomodo apud te sit, vel quid tibi de meo placuerit. [atque ita erit beatus, qui inuenit amicum *b* verum; & qui enarrat iustitiam auri audienti; non quidem indifferenter omnibus, sed à Deo vocatis, & ad vitam mysticam magis idoneis; vndè consequenter dicitur,

Ad vitam mysticam quinam aptiores.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Sicut in domo Patris cœlestis variæ sunt mansiones, & quisquis beatorum pro sua dignitate vicinior, remotiusque Dei essentiam intuetur; ita proxius, dum peregrinamur à Domino, vnus sic, alius autem sic, donum habet à Deo. cum autem [Deus cuncta moueat *c* secundum naturæ propriæ dispositionem,] & ipsimet [angeli sint consecuti *d* gratiam, & gloriam, secundum naturalium virium quantitatem, quod meliores, & excellentiores maiorem gratiam, & gloriam consequerentur.] hinc etiam apud mysticos v-

nus alio magis aptus est ad diuina contemplanda. & [communiore quidem mysticorum iudicio,] ad vitam contemplatiuam magis apti sunt, ætate iuniores, natura ingenui, flexibiles, dociles, hilares, mansueti, & maxime humilitate præstantes. Quia tamen frustra est potentia quæ non redigitur in actum, & non omnes qui apti sunt, ac secundum quod cognouerunt Deum, ita & glorificauerunt; idèò prudenter obseruatum est [nonnullos si in *f* teneriori ætate quando adhuc suauisibiles, dociles, habiles, feruidi, ac strenui sunt, probè imbuantur, fieri posse, vt quidam ex ijs suum maturent profectum, & in ætate adhuc tenera, ad altiora contendant.] quamuis [postea horum aliqui *g* deficient; ita vt qui in principio vix vnum sæculare verbum audire poterant, iam vix ab vlla loquacitate se contineant;] & similibus defectibus excecati, sibiipsis & alijs quoquo modo molestiam, & damnum inferant. Pari modo licet aliqui [ex ipsa *h* natura præ alijs quietiores sint, non tamen ob hoc ampliore sunt sanctitate præditi; sed qui plus diuini amoris habet, Deumque sollicitus obseruat, eidemque obseruationi studet satisfacere, pro Deo viriliter decertat, & vitijs, ac defectibus suis amplius, perfectiusque emoritur, ille nimirum sanctior est.]

Mansueti autem & verò humiles, bonam

a ibid *d* s. *b* Eccl. 25. *c* S. Thom. 1.2. q. 51. a. 4. ad 2. *d* 1. p. q. 62. a. 6. c. *e* Rusbroch. Harph. l. 1. p. 2. c. 6. & passim alij. *f* Taul. Dom. 3. post oct. Epiph. s. 1. *g* Barbañs. de sem. ocul. *h* Taul. instit. c. 16.